LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF ILLINOIS 16 S '14

De

Poetarum Effatis Graecorum in Sacro Novi Foederis Codice laudatis.

Meletema Academicum
Cujus Particulam Primam
Hemistichium Arateum a Divo Paulo
Actor. XVII. v. 28. allegatum
illustrantem
Consensu Ampliss. Facult. Philos.
Moderante

Ludovico Theob. Kosegarten,
SS. Th. D. AA. LL. M.
Sacrae Regiae Majest. Suecan. a Consiliis Sanctioribus,
Paroeciae Palaeocyriacensis in Insula Rugia Pastore,
Historiar. nec non Litt. Graec. Prof. P. O.
Ordinis Philos. hodie Decano,

pro
Laurea
Placido Eruditorum Examini Submittit

Friedericus Adolphus Lönner,
a Sacris.

In Auditorio Maj. die II. Novembris MDCCCXI.
Horis Ante Meridiem Solitis.

Gryphiae,
Typis J. H. Eckhardt, Direct. Reg. Acad. Typogr.

1811.

§. I.

De locis Poëtarum, eorumdemque Graecorum, in sacra Novi Foederis pagina citatis, ex professo, ut loqui solent, disseruerunt viri laudatissimi, Sal. Glassius in Philologia sacra (1), Georg. Phil. Olearius in Dissertatione de Scripturis profanis a Paulo Apostolo allegatis (2), Joh. Adam Königius in Schediasmate, quod super eodem argumento conscripsit (3), Bernhardus Wincklerus in Dissertationibus Philologicis (4), Joh. Henr. a Seelen in Meditationibus Exegeticis (5); et si quis alius, qui minus nobis innotuerit, nobile hocce Thema sibi pertractandum sumserit. Sed etiam e numerosissima illa

1) Fol. 1492. 1928. 2073. sqq.

2) Lipsiae 1701.

3) Wittebergae 1678.

4) Eodem 1719.

5) Pars II. Medit. VII.

Interpretum cohorte, qui vel universum Novi Foederis Codicem perpetuis suis Commentariis illustrarunt, vel selectis tantum atque obscurioribus quibusdam locis lucem affundere conati sunt, alii fusius sollertiusque eandem tractavere materiem, alii obiter tantum ac perfunctorie illam attigere. Quorum uberioribus messibus spicilegium nostrum qualecumque adjicere eo minus dubitamus, quo magis nobis persuasum est, argumentum illud huc usque minime adhuc adeo esse exhaustum, ut, qui denuo in examen illud vocare velit, adnumerandus sit istis, qui Iliadem post Homerum contexere vano atque temerario impetu moliantur.

II.

E Scriptoribus vero Sacris, qui effata Ethnicorum in usum sanctiorem convertere ausus est, unicus fuit Divus Paulus, Apostolorum ut facundissimus, ita et eruditissimus. Qui, quod doctrinam patriam ex ore Gamalielis, ad cujus pedes discipulus discendi cupidissimus consederat, sitibundus hauserit, pia grataque mente ipse fatetur. Sed nec Gentium Sapientiam neglexisse, nec Graecorum (in quorum medio adoleverat) litteras illibatas reliquisse juvenem, acerrimo ingenio praeditum, ad altiora concitato cursu tendentem, Civem insuper Romanum, e nobili Ciliciae

metropoli oriundum, nec indole, nec opportunitate, nec facultatibus, quae in addiscendis litteris illum adjuvarent, destitutum, evincit vis illa atque virtus dialectica, cujus, cum Stoicis sive Epicureis congressurus, egregia specimina edidit; evincunt tot locutiones gymnicae, tot aliae, ad ritus, opiniones ac consuetudines Gentium alludentes; evincunt tandem luculentissime effata ipsa Vatum Graecorum, quibus sententiam suam stabilire atque illustrare plus semel est dignatus.

III.

Primum, quae a sanctissimo Gentium doctore laudata sunt, oraculorum exstat Actor. XVII. v. 28. Paulus Athenis commorans, incredibilem urbis celeberrimae, litterarum metropolis, *δεισιδαιμονιαν* (6) mira-

---

6) Idolomaniam Atheniensium Scriptores Graeci accusant passim. Xenophon de rep. Athen. asseverat, Athenienses „*αγειν ἑορτας διπλασιους, ἡ τους αλλους*. Pausanias in hac urbe plura pene idola, quam in reliqua Graecia commemorat. Lucianus in Prometh. habet sequentia: *Απανταχου δε βωμους και θυσιας, και ναους, και πανηγυρεις. μεσται δε Διοις πασαι μεν αγοραι, πασαι δε ανθρωπων αγοραι*. Cui assentit ille apud Petronium: Utique nostra regio tam praesentibus plena est Numinibus, ut facilius posses Deum, quam hominem invenire.

tus, juxtaque misertus, ex arae Epimenideae (7), quam et Pausanias celebrat, et Philostratus et Lucianus, inscriptione ansam arripuit, idolorum asseclis, vanissimae superstitioni mancipatis, Deum, cui ara illa dicata fuerat, annuntiare Ignotum; Unicum, Summum, Verum; mundi, omniumque, quae in eo sunt, conditorem; coeli terraeque Dominum; qui nec habitet in templis fabrefactis, nec manibus humanis colatur; qui nemine indigeat, cum ipse dispenset omnibus vitam, halitum, victum atque cultum; qui propagaverit ex uno sanguine omne genus mortalium; ut habitarent per universam superficiem terrae, praefinitis temporum opportunitatibus, praefixisque finibus, inter quos habitarent; ut quaererent Deum, si forte palpando illum invenirent, quamvis profecto non longe sit ab unoquoque nostrum. . . His aliisque praemissis, jam e propria adversariorum pharetra telum depromturus ita pergit, v. 28.

Ἐν αὐτω (Θεω) γαρ ζωμεν, και κινουμεθα και ἐσμεν (8),

---

7) Ara haec, ignoto Deo inscripta, plurium eruditorum industriam exercuit, quorum praecipuos more suo diligenter affert Cel. Fabricius in Bibliographia Antiquaria p. 296.

8) Hammondus ad h. l. et haec verba veteres quosdam Jambos:

Ζωμεν δ'ἐν αὐτω θνητα, και κινουμεθα

Και ἐσμεν

ὡς καὶ τινες των καθ᾽ ὑμας ποιητων ἐιρηκασι. ΤΟΥ ΓΑΡ ΚΑΙ ΓΕΝΟΣ ΕΣΜΕΝ. i. e. In ipso enim (Deo) vivimus, movemur et sumus; sicut etiam quidam eorum, qui apud vos (fuerunt) Poetarum dixerunt: Ipsius enim genus sumus.

IV.

Nobile hocce effatum, quod vel Vate Θεν πνευστω non indignum foret, cui vel quibus e Graecorum Poëtis debeatur, sollertissime investigarunt Eruditi. Apostolus certe non unius, sed plurium, qui ita locuti sint, mentionem facit. Nec certe de nihilo. Si enim sensus magis, quam verborum rationem habeamus, plures in Poëtarum antiquorom sacra inveniemus cohorte, qui eandem vel similem sententiam expresserint. Ducat familiam et his nominibus Homerus ipse, quo nec antiquiorem Graecia venerata est scriptorem, nec illustriorem, cujusproinde divinum, supraque communem mortalium modulum longe emergens ingenium templis, statuis, nummis, αποθεωσει tandem ipsa

---

respicere credit. Sed cum in omnibus, quae ex Antiquitate Graeca ad nos pervenerunt, monumentis, tales versiculi non reperiantur, nec fontes suos citaverit Hammondus, rem in dubio esse relinquendam, recte monet Hammondi Commentator, Clericus.

honoraverit pia antiquitas (9). Quoties enim ab illo Iupiter dicitur *πατηρ ἀνδρων τε Θεων τε*, imo quoties vocatur *Ζευς* vel *Ζην*, quae nomina ex communi sententia ei indita, quoniam putabatur *του ζην αἰτιος*, vitae auctor; toties affertur, quod cum dicto nostro quoad sensum conveniat. Nec Hesiodus heic praetereundus, vatum Graecorum post Homerum elegantissimus juxtaque gravissimus, siquidem et ille laudat *Ζηνα, Θεων πατερ ἠδε και ἀνδρων.* Nec omittendus aureorum, quae Pythagorae nomine superbiunt, carminum conditor egregius, cui praeclara haecce commata debemus:

Αλλα συ θαρσει. Ἐπει θειον γενος ἐςι βροτοισιν,
Οἱς ἱερα προφερουσα Φυσις δεικνυσιν ἑκαστα ———
Ην δ' ἀπολειψας σωμα ἐς αἰθερ' ἐλευθερος ἐλθης,
Ἐσσεαι ἀθανατος Θεος ἀμβροτος οὐκ ἐτι θνητος.

Ex interpretatione Curterii:

At confide; hominum divina est stirpis origo,
Sacra quibus natura favens haec singula pandit ——
Sic ubi deposito vacuus te ceperit aether
Corpore, vivus ages semper, semperque beatus.

---

9) Specimen hujus Homerolatriae nobis exhibeant versus sequentes:

Ἐι Θεος ἐςθιν Ὁμηρος, ἐν ἀθανατοισι σεβεσθω!
Ἐι δ' αν μη Θεος ἐςι, νομιζεσθω Θεος ἐιναι.

Nec Euripides, qui ita:

Ω τεκνον, ὀυκ ἐς' ἀλλοθεν το σου καρα,
Αλλ' ἐξ εκεινου' σπερμα της Θειας Φρενος
Πεφυκας.

O Fili, non aliunde originem te trahere credas, sed e Deo solo. Divinitus delibatus es, divinae mentis surculus ac germen.

Nec tandem Orpheus, e cujus carminibus deperditis egregium huncce locum servavit Proclus:

Ζευς πρωτος γενετο. Ζευς ὑςατος ἀρχικεραυνος,
Ζευς κεφαλη, Ζευς μεσσα. Διος δ' ἐκ παντα τετυκται.
Ζευς ἀρσην γενετο, Ζευς ἀμβροτος ἐπλετο νυμφη.
Ζευς πυθμην γαιης τε και ἐρανε ἀςεροεντος.
Ζευς πνοιη παντων, Ζευς ἀκαματε πυρος ὁρμη.
Ζευς ποντε ριζα, Ζευς ἡλιος ἠδε σεληνη.
Ζευς βασιλευς, Ζευς ἀυτος ἁπαντων ἀρχιγενεθλος (10).

Lilius Gyraldus ita vertit latine:

Jupiter omnipotens est primus et ultimus idem
Jupiter est caput et medium. Jovis omnia munus.
Jupiter et mas est, et nescia foemina mortis.

---

10) Integrum hunc locum, ex Eusebio et Clemente Alexandrino auctum, integratumque invenies in Editione Orphicorum, a Cel. Gesnero adornata p. 355.

Spiritus est cunctis, validi vis Jupiter ignis,
Et pelagi radix, Sol, Luna est Jupiter ipse.
Omnipotens Rex est, rei omnis Jupiter ortus (11).

---

11) Carmini huic Orphico mirum in modum correspondet Melos Indicum: Bhogovotgita, cujus quaedam Episodia ex vetusto Samskred Germanice, et quidem metris, Archetypo accommodatis, expressit Clar. Fried. Schlegel. Attendite, sultis, commatibus, quae sequuntur:

„Ich bin des ganzen Weltalls Ursprung, so wie Vernichtung auch.
Ausser mir giebt es ein andres höheres nirgends mehr o Freund.
An mir hängt dieses All vereint, wie an der Schnur der Perlen Zahl.
Ich bin der Saft im Flüſsigen, bin der Sonn' und des Mondes Licht,
In heil'gen Schriften die Andacht, Schall in der Luft, im Mann der Geist,
Der reine Duft von der Erdkraft, bin der Glanz auch des Strahlenquells
In allen Irrdschen das Leben, bin die Busse im Büssenden.
Alles Lebend'gen Saame bin ich, wisse, von Ewigkeit
Bin in den Weisen die Weisheit, ich der Glanz auch der Strahlenden.
Dann die Stärke der Starken ich, die von Begier und Stolz befreit;
In den Lebend'gen die Liebe bin ich. durchs Recht beschränkt, o Fürst.
Welche Naturen nun wahrhaft, scheinbar nur oder finster sind
Aus mir sind, wisse, auch diese, nicht ich in ihnen; sie in mir."

V.

Sed majori suo jure honorem, e Divi Pauli laudibus redundantem, sibi vindicant Graecorum Poëtarum Tales, apud quos vel plane eadem, quae in loco nostro, vel propius tamen ad nostra accedentia verba occurrunt. Quorum duo tantum hucusque reperiri potuerunt, alter Atheniensium quondam civis, Cleanthes; alter Cilix, itaque Apostoli nostri popularis, Aratus.

VI.

Cleanthes floruit circa A. U. C. 490. ante C. N. 226. Olymp. CXXIX. Asso, quod oppidum fuit Troados, oriundus, admodum adhuc adolescens Athenas migravit; Zenonem, Stoae conditorem, per annos audiit undeviginti; adeoque Philosophum gravissimum imbibit, ut illo e vivis exemto, dignus reputatus sit, qui tanti Doctoris Cathedram in porticu Atheniensi denuo occuparet. Tardiore fuisse fertur ingenio, sed mira assiduitate, animo constanti, atque studio prorsus pertinaci. In maxima igitur apud Athenienses auctoritate vixit, viguit, consenuit. Vitam finiit, sibi ipsi, sectaeque suae placitis constans, voluntarius, annos natus undecentum. E scriptis viri, quae plurima atque laudatissima elaboraverat, nihil superest, praeter Hymnum ad Iovem unum, grandi-

loquum, altisonum, sublimem atque profundum adeo, ut parem universa Graecorum antiquitas nobis tradiderit nullum (12). In divino hocce carmine, Hemistichium occurrit, effato illi a Divo Paulo allegato correspondens eo usque, ut, perpaucis quibusdam litterulis mutatis, prorsus idem appareat et unum. Exordium Hymni, nunquam satis depraedicandi, tale:

Κυδις' αθανατων, πολυωνυμε, παγκρατες αιει,
Ζευ, φυσεως ἀρχηγε, νομου μετα παντα κυβερνων,
Χαιρε. Σε γαρ παντεσσι θεμις θνητοισι προσαυδαν.
Εκ Σου γαρ γενος εσμεν, ἰης μιμημα λαχοντες
Μουνοι, ὁσα ζωει τε και ἑρπει θνητ' ἐπι γαιαν.
Τω Σε καθυμνησω, και σου κρατος αιεν αεισω.

Ex Metaphrasi Florelliana:

Coelicolum Princeps, cui nomina multa, sed Idem
Tu tamen Omnipotens, dia, Dux Maxime rerum,
Lege tenens Mundum; Te — Te mortalibus ipsis

---

12) Eximium hunc Hymnum, Latinitate, eademque castissima donatum, Specimini, quem Conspectum in Philosophia inscripsit, Inaugurali, non magis verborum, quam rerum pondere gravissimo, Coronidis loco adjicere voluit nuperrime Vir egregius, Athenai nostri Civis atque Docens dignissimus, Johannes Florello, Ph. D. Eundem, rhythmis Germanicis sollerter expressum, Editionis, quam adornat Poematum suorum Novae auctae atque castigatae Volumini Sexto, Lyricorum libro Quarto, inserendum curavit Dom. Praeses.

Affari fas est nobis, tua namque propago
Nos sumus, in terra soli Ratione valentes;
Ergo Tibi psallam, tua numina semper adorans.

Videtis, Amici, quam paucis, quam fere nullis litterulis dictum Cleantheum "Ἐκ Σου γαρ γενος ἐσμεν, ab illo Paulino discrepet: "Του γαρ και γενος ἐσμεν.

VII.

Sed verba ipsissima cum omnibus suis apicibus atque elementis reperiuntur apud Aratum Solensem. Floruit Aratus A. U. C. 482. ante C. N. 290. Olymp. CXXVII. Patria illi fuere Soli, Ciliciae civitas, quae postea a Magno Pompejo cognominata fuit; parentes Athenodorus et Letophila. Audivit e Grammaticis Menecratem Ephesium, e Philosophis Menedemum Heracleotem, Perseumque Stoicum. Quem posteriorem ab Antigono Macedonum Rege in Macedoniam arcessitum eo comitatus est, et in notitiam gratiamque Regis pervenit, quam usque ad vitae exitum (maturius enim illo fatis concessit) constanter servavit. Medicinae, Philosophiae atque Poëseos credebatur peritissimus; Homericorum poëmatum, teste Laertio, fuit studiosissimus; exstat nummus in quo conspicitur, lyra psallens, Musarumque corona cinctus. Regis sibi amicissimi svasu Poëma scripsit heroicum. Φαινομενα,

quibus post versum 722. subjunguntur Διοσημεια, sive Prognostica. Mox, cum Astronomiae ignarus esset, Eudoxii Cnidii, qui ἐνοπτρον atque Φαινομενα scripsit, orationem prosam, metris inclusit, atque illustravit, in quod poëma non pauci deinde sunt commentati (13).

VIII.

Exstat vero oraculum, a Divo Paulo laudatum mox in exordio των Φαινομενων, quod una cum Versione Grotiana hic exscribere, consilii nostri ratio monet:

Ἐκ Διος ἀρχωμεσθα· τον ὀυδεποτ᾽ ἀνδρες ἐωμεν
Ἀρρητον· μεσαι δε Διος πασαι μεν ἀγυιαι,
Πασαι δ᾽ἀνθρωπων ἀγοραι· μεστηδε θαλασσα,
Και λιμενες· παντη δε Διος κεχρημεθα πανθες,
Τȣ γαρ και γενος εσμεν· ὁδ᾽ ἠπιος ἀνθρωποισι
Δεξια σημαινει, λαȣς δ᾽ἐπι ἐργον ἐγειρει.
Μιμνησκων βιοτοιο· λεγει δ᾽ὁτε βωλος ἀριστη
Βȣσι τε και μακελησι ·λεγει δ᾽ὁτε δεξιος ὡρα
Και Φυτα γυρωσαι και σπερματα παντα βαλεσθαι.

---

13) Ediderunt Arati, quae supersunt Aldus 1499. H. Stephanus 1566. Commelinus 1589. Hugo Grotius 1600. Jo. Fell (nitide ac castigate) Oxeon. 1672. Minus accurate Bandinus Florent. 1761. Confer. Andreae Schmidii Diss. de Arato. Jenae 1685.

Ἀυτος γαρ τα γε σηματ᾽ ἐν ὀυρανω ἐστηριξεν,
Ἀστρα διακρινας· ἐσκεψατο δ᾽ ἐις ἐνιαυτον
Ἀστερας, ὁι κε μαλιστα τετυγμενα σημαινοιεν
Ἀνδρασιν ὡραων, ὀφρ᾽ ἐμπεδα παντα φυωνται.
Τω μεν αἐι πρωτον τε και ὑστατον ἱλασκονται.
Χαιρε πατερ, μεγα θαυμα, μεγ᾽ ἀνθρωποισιν ὀνειαρ.

Ab Jove Musarum primordia: semper in ore
Plurimus ille hominum est, qui compita numine magno
Consiliumque virum complet, pelagusque profundum,
Et pelagi portus: fruimur Jove et utimur omnes.
Nos genus illius: nobis ille omine laeto
Dextera praesignat, populumque laboribus urget,
Consulat ut vitae: quando sit terra ligoni
Aptior aut bubus monet, et quo tempore par sit
Aut serere, aut septas limphis adspergere plantas.
Ipse etiam in magno defixit sidera mundo
Ordine quaeque suo, utque in totum providus annum
Astra dedit, quae nos moneant, qua quaelibet hora
Apta regi, certa nascantur ut omnia lege.
Idem ergo primus placatur et ultimus idem.
Magne pater, magnum mortalibus incrementum.

IX.

Hemistichium Arateum, cum ne verbulo quidem differat ab eo, quod allegat Divus Paulus, facile apparet, cur post Clementem Alexandrinum, Hieronymum, Chrysostomum, Socratem aliosque veteres Ecclesiae Patres atque interpretes, etiam recentiores, Desid. Erasmus, Theod. Beza, Henr. Hammondus, Vatablus, Pricäus, Joh. Chr. Wolfius, plurimique alii Aratea verba Paulum respexisse arbitrati sint. Sed etiam versus Arati, qui nostrum antecedant, in mente habuisse Apostolum, illisque et cogitata et dicta sua accommodasse, ex nostra quidem sententia neminem fugiet, qui universam Paulinam orationem cum Arati exordio paulo accuratius comparare velit.

X.

Nihilo tamen secius non defuere, nec ex Interpretibus gravissimis, qui magis Cleanthis Hymnum D. Paulum respexisse credant; siquidem sapientiae Apostoli convenientius ipsis visum sit, talem sibi Poëtam suffragantem sistere, qui Atheniensibus eo minus potuerit esse ignotus, quo diutius in ipsorum urbe vixerat. In quam sententiae partem inclinant, ut alios taceam ex illis, qui nunc jam ἐν ἁγίοις, Eruditissimus atque Diligentissimus Joh. Alb. Fabricius;

ex iis vero, qui vitali adhuc aura fruuntur, Vir, quem Musa vetat mori, in Athenaeo nostro Gryphico Sapientiae Divinae nec non Linguarum Sanctiorum Doctor atque Professor longe meritissimus, Theophilus Cölestinus Piper. Sed quid prohibet, quo minus supponamus, Apostolum, qui disertis verbis non unius mentionem facit Poëtae, sed plurium, utrumque respexisse; alterum, Atheniensium quondam concivem, qui ipsis, alterum, conterraneum suum ac popularem, qui sibi maxime fuerit familiaris.

XI.

Quod superest, et hic apparet, inde a remotissimis hominum recordationibus omnem saniorem Philosophiam, Indorum, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Hebraeorum, Graecorum, populorum denique Septentrionalium, divinam hominis originem alta voce clamasse. Animam, docent consensu unanimi, coelitus delibatam, citius tardius in stelliferam suam patriam esse redituram. Ens Entium, monent, clarius alii, alii obscurius, *ἀνεκλαλητον, ἀρρητον, σιωπη φωνουμενον* (14), tamquam Universi Cor ac saliens

(14) Sunt verba Trismegisti in Poemand. Cap. I. Idem Termaximus Hermes de Deo pulcherrime ita: *Ἐστιν αὐτος και τα ὀντα, και τα μη ὀντα· τα μεν γαρ ὀντα ἐφανερωσε, τα δε μη ὀντα ἐχει ἐν ἑαυτω.* Poemand. Cap. V.

Punctum, modo expandens semetipsum, modo contrahens, alternis vicibus aeonum myriades ebullire nunc, nunc resorbere. Psyche interea generosa, coelesti suo sponso orbata, e sede sua primordiali delapsa, in terra exulans peregrina atque tenebrosa, trepidat atque tremit, alget, ardet, torret; quaerit, quem pectus suum deperit, vestigia ejus exosculatur, dilectae ejus vocis persequitur Echo, gemit ac singultit, languet ac anhelat; donec amoris tandem, qui, teste Salomone, morte fortior, vi et impetu vincula disrumpit, carceris claustra effringit, expiataque culpa, omnibusque maculis exustis, exultabunda redit in amplexus Amati sui, qui et illam dilexerat, priusquam ab eo jacta fuere fundamenta mundi.

Συ γοῦν, Δαιμονιε, θαρσει· Διος εσσι γενεθλη.
ἢν δ᾽ ἀπολειψας σωμα ἐς αἰθερ᾽ ἐλευθερον ἔλθης,
ἔσσεαι ἀθανατος Θεος, ἀμβροτος, οὐκ ἔτι θνητος.